

missas quibus particulariter manet adstrictus. Idem, *ibid.*, § 15.

* Beneficiatus cui injungitur a testatore celebratio missæ certis diebus, non explicata applicatione pro se, vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore ejusdem beneficii, ut S. congregatio Concilii sæpius respondit. *De sacrific. miss.*, lib. III, cap. 9, § 2.

Idem dicas, si fundator mandaverit orare pro se in missa, nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur etiam fuisse ejusdem fundatoris mentem, ut si, pluribus capellanis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. congregationis, *ib.*, § 3.

(39. Sacerdos qui beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere, non vetatur, sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et decreta sacræ congregationis Concilii non apparent; *ibid.*, cap. 22, § 7.

(40. Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem beneficii, quod demonstret testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex decretis S. congregationis. *Ibid.*

(41. Sacerdos ratione beneficii obstrictus bis vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus, vel altaria quædam singulis hebdomadis missa careant. *Ibid.*, lib. III, cap. 6, § 8.

(42. Canonicis in cathedralibus et collegiatis qui, juxta præscriptum rubricæ, certis quibusdam diebus plures missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus, nunquam a sacr. congregatione decisum est. *Ibid.*, § 9.

(43. Alia ad rem, quoad tradita supra n. 24, vide et verb. RESTITUTIO, art. 4, n. 24, 25, 26.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(44. Obligatio celebrandi missam conventualem de jure inest ecclesiis cathedralibus et collegiatis, cap. *Cum creatura*, De celebrat. missar. (45. At sunt plures ecclesiæ communitativæ quæ ex speciali titulo hac itidem obligatione tenentur. 46. Dubitatum autem fuit an sicuti in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ita et in ecclesiis hisce communitativis applicanda sit missa conventualis pro benefactoribus. (47. Et affirmative respondit sac. congreg. Concil. interpres duabus ecclesiis communitativis diocesis Prænestinæ, quæ novissime eam hac de re consuluerunt, ex mandato facto ab eminentissimo episcopo in visitatione. (48. Et jure meritoque, nam regulariter obligatio haud debet esse sejuncta ab applicatione. (49. Accedit quod si est hæc obligatio applicandi in

cathedralibus et collegiatis, in quibus celebratio missæ conventualis inducta dici potest pro majori cultu ipsarum, potiori jure esse debet in mox dictis ecclesiis communitativis, in quibus minus urget mox dicta ratio.

(50. Differunt itaque ecclesiæ cathedrales et collegiata a communitativis quoad celebrationem tantum, scilicet quod illæ de jure tenentur ad celebrationem missæ conventualis, hæc vero non nisi ex speciali titulo.

(51. Cæterum, si ecclesiis communitativis sit hæc obligatio celebrandi ex titulo speciali, esse tunc debet et obligatio applicandi, non secus ac in cathedralibus et collegiatis, nisi contrarium clare constet.

(52. * Cum in pluribus extra Italiam diocesis Christianus populus iis diebus festis, quibus ipsi exercere servilia opera fas erat, manente tamen præcepto de missa audienda, solutus etiam hoc onere Apostolica indulgentia fuerit, orta quæstio fuit: « tenerentur ne parochi illis diebus missam, ut antea, pro ovibus sibi creditis applicare; » et quæstione a S. congregatione de Propaganda Fide mature expensa, responsum fuit missionariis qui hanc quæstionem proposuerunt, « teneri. » Nec S. congregationis Concilii discrepans sententia est. Nam Pontifices, qui Christianam plebem onere audiendi sacrum illis diebus liberarunt, non propterea parochos onere rem divinam pro populo iisdem diebus faciendi liberarunt, neque enim onus parochi sacrificium pro plebe sibi credita offerendi ex hoc oritur, quod plebi onus missæ audiendæ incumbat, adeo ut, hoc sublato, illud quoque tollatur*.

ARTICULUS IV.

Missa quoad locum in quo possit vel non possit celebrari.

SUMMARIUM.

1. Missa de jure communi et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, vel saltem legitima auctoritate benedictis. — 2. In casu tamen quo magna urget necessitas potest a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis nec benedictis. — 3. Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum et hujusmodi, ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis et benedictis locis celebrari nequit. — 4. Ita etiam, si ecclesiæ essent diruta, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ. Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium, et hujusmodi. — 5. Nec potest censer, quod concilium Tridentinum voluerit prohibere celebrationem extra loca sacra et benedicta in his casibus magnæ necessitatis. — 6. An missa possit celebrari super navibus in mari, vel flumine? ad n. 9. — 10. Episcopi et majores prælati, etiam si essent cardinales, non possunt concedere facultatem celebrandi in locis non sacratis et non benedictis. — 11. Imo nec ipsi possunt celebrare extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, sive propriæ, sive alienæ diocesis: vide tamen declarationem allatam sub verb. ORATORIUM, n. 70. — 12. Regulares, quantumvis privilegiati, non possunt hodie celebrare ubivis in altari portatili, aut in aliqua

domo privata, aut alio loco non sacro vel benedicto, nisi adsit specialis concessio, aut novum privilegium Papæ. — 13. Regulares an possint in propriis conventibus et extra conventus in grangiis et domibus ruralibus habere oratoria privata et ibi celebrare, et an alii ibi celebrantes, et missam audientes satisfaciunt præcepto audiendi missam? *remissive*. 14. Non celebrans missas in loco designato, v. g. in ecclesia, vel in altari convento, vel ex pacto, vel ex testamento, si hoc faciat absque justa et rationabili causa, peccat mortaliter. — 15. Si vero hoc faceret ex rationabili et justa causa, ut si altare esset dirutum, vel ecclesia in alium locum translata, tunc non peccaret. — 16. Sive tamen non celebret in loco convento et designato cum justa, sive absque justa et rationabili causa, non tenetur iterum in eodem altari, vel ecclesia celebrare, aut ad aliquam restitutionem, ut compenset sacrificia alibi celebrata. — 17. Missarum onera relicta in determinata ecclesia, seu capella, non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia. — 18. Imo neque nuntius Apostolicus potest concedere indulgentiam, quod missæ celebrandæ in loco a testatore designato, alibi celebrentur. — 19. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate executorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. — 20. Missæ ad satisfaciendum elemosynis alicui ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per exteros, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem ecclesiæ: et generales ordinum non possunt de se celebrare facere in monasteriis aliarum civitatum, etc., missas pro quibus uni tantum ecclesiæ fuerunt elargitæ elemosynæ. — 21. Missæ relicte a testatore, ut celebrentur in determinata ecclesia regularium, ex una decisione sacræ congreg. sunt celebrandæ ab ipsis regularibus, nec possunt hæredes pro suo libito tali celebratione deputare sacerdotes sæculares, vel alios regulares, etiam si testator non expresserit, per quos essent celebrandæ. — 22. Ex post tamen fuerunt edita contraria decreta, in quibus fuit decisum electionem capellani pro celebratione missarum in ecclesia eorumdem regularium per testatorem non factam, spectare ad hæredes. — 23. Et si regulares nollent consentire, nec commodum et patientiam præstare sacerdoti sæculari deputato pro tali celebratione missarum, tunc conceditur oneris translatio ad aliam ecclesiam de licentia ordinarii; novissime autem fuit resolutum contrarium, *ubi supra* n. 21. — 24. In suis ecclesiis non licet regularibus admitti sacerdotes sæculares ad missam celebrandam contra prohibitionem episcopi. — 25. Sacerdotes seu præfecti ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. — 26. Presbyteri, qui capellani non sunt, possunt prohiberi ne accedant ad celebrandum in ecclesiis monialium etiam regularibus subjectarum, vel alias exemptarum. — 27. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii. — 28. In ecclesiis monialium non debent regulares celebrare missas absque licentia episcopi; et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transferatur ad eorum ecclesiam. — 29. Missa non est celebranda in ecclesia polluta. — 30. Celebrans vero in ecclesia polluta, licet peccet graviter, nullam tamen censuram vel irregularitatem incurrit. — 31. Missa non est celebranda in loco interdicto et ibi celebrans fit irregularis. — 32. Nec potest celebrari in loco in quo sepultus est paga-

(66) *Nota Rom. theologi.* — Concursus populi causa sufficiens non est, ut extra sacrum locum sacerdos celebrare possit sine dispensatione superioris ecclesiastici, qui a lege ecclesiastica, quæ sacrum in loco sacro fieri jubet, sacerdotem absolvat. Hoc

nus seu infidelis. — 33. Nec ubi sepultus est excommunicatus vitandus. — 34. Poterit tamen ibi celebrari, si inde extrahantur cadavera, et ecclesia consecratur vel benedicatur. — 35. Capitulum nequit celebrare missas in ecclesiis regularium, ipsis renuentibus. — 36. Missæ celebrandæ ex elemosynis a confratern. collectis, in ejusdem ecclesia celebrari debent. — 37. Missæ celebrandæ sunt in ecclesiis per testat. designatis; et hoc non expresso, in sepulchrali ecclesia, ad n. 38. — 39. Missarum celebratio scribenda est in libro in sacristia servato. — 40. Alia notabilia ad rem, ad n. 51. — 52. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 64.

(1. Missa de jure communi, et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima auctoritate benedictis, ex Clement. 1, epist. 3, et ex cap. primo, De consecrat., dist. 1, ubi habetur: « Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, can. *Sicut* 11 De consecr., dist. 1, ubi habetur: « Nec in aliis quam Domino sacris locis, id est in tabernaculis divinis precibus a pontificibus delibutis, missas cantare, aut sacrificia offerre licet, nisi summa coegerit necessitas; » et ex Tridentino sess. XXII, in decreto *De observandis in celebratione missarum*, ubi prohibetur episcopis ne patientur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi. » (2. Dicitur notanter *de jure communi et ordinarie*, quia in casu quo magna urget necessitas, posset a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis, nec benedictis, ut tenent communiter doctores, et clare ostendunt mox citati canones cap. 2, De consecrat., dist. 1, per illa verba, « absque magna necessitate fieri debere: » et cap. 11, De consecrat., dist. 1, per illa verba « nisi summa coegerit necessitas. »

(3. Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis, et benedictis locis celebrari nequit. Ita etiam si ecclesiæ essent diruta, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ, cap. *Concedimus* 30, De consecrat., dist. 1. (4. Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium. In his enim et similibus necessariis casibus, de communi doctorum etiam absque licentia episcopi, si absens sit, et difficulter adiri possit, ipso jure potest quilibet sacerdos licite celebrare (66). (5. Nec

enim in casu pars illa populi, quæ ingredi locum sacrum non posset, vel extra ecclesiam consistere animo satisfaciendi præcepto de missa audienda deberet, vel si id facere non posset, non teneretur audire missam.

potest censi quod concilium Trident. voluerit prohibere celebrationem extra loca sacra et benedicta in his casibus magnæ necessitatis, « quoniam, ut subjungitur in cap. *Sicut* 11, De consecrat., dist. 1, quoniam necessitas legem non habet. Et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum; » cap. *Quod non*, De regul. juris. 4.

(6. An autem missa possit celebrari super navibus in mari vel flumine, variant doctores. Negativam sententiam tenent Paludanus, Sotus, Turrecremata, Joannes de Fribur., Tabiena, Sylvester, Armilla, S. Antoninus, Navarrus, Henriquez, Majolus, Toletus, Azorius, Vasquez, Suarez, Reginaldus, Bonacina, Coninch, Bartholomæus ab Angelo, Faustus, Ledesma, Zanardus, Camerot, Astensis, Joannes a Cruce, Pitigianus, Homobonus, Filiucius, Molfesius, Villalobos, Chelisonius, Præpositus, Grassius, Pax Jordanus, Tannerus, et alii apud Pignatell., tom. VIII, consult. 124, n. 4, ubi refert hanc negativam sententiam secutam fuisse etiam sacram congregationem Sancti Officii, quæ sæpe censuit quod missa non permittatur celebrari super navigiis, in navigationibus Indiarum, ut 31 Julii 1607 et 2 Augusti ejusdem anni. Et negata fuit licentia principi Philiberto, ut celebrari posset super trirēibus 2 Septembris 1621. Eamd. negativam sententiam tuentur Gavantus in *Thesaur. sacr. rit.*, pag. 1, tit. 20, littera E, § *Nunquam in mari*; Rotarius et alii apud eruditissimum P. Merati in addition. ad Gavantum *loc. cit.*, litt. X; Antonell., *De loco legali*, lib. 1, cap. 3, n. 4, et alii apud cardinal. Petra, tom. IV *Commentar. ad constit. 2 Urbani V*, n. 26; Diana cum aliis, part. ix, tract. 1, resol. 43, ubi refert declarationem sacræ Rituum congregationis de anno 1633, qua committitur episcopis, ut prohibeant sacerdotibus tam sæcularibus quam regularibus, ne id ad praxim deducant. Et ratio ipsorum est quia licet in necessitate celebrari possit extra locum consuetum, non licet tamen cum aliquo periculo; in mari autem vel flumine semper adest periculum effusionis sanguinis, quia licet tranquillum potest de repente ventis commoveri.

(7. Affirmativam autem sententiam defendunt, præsertim existente mari tranquillo, et nullo exstante periculo effusionis sanguinis, aut amotionis hostiæ ex vento, Durandus, Sa, Major, Granadus, Scortia, Layman, Gaspar, Hurtadus, Marchinus, Palaus, Caspensis, Aversa, Machad., cardinalis de Lugo, Franciscus de Lugo, lib. v, *De sacrament.*, cap. 6, quæst. 1, n. 9 et 14, ubi testatur se in navigatione ad Indias in navi celebrasse, Fagundez, præcept. 1 *Eccles.*, lib. III, cap. 10, n. 15, testans de praxi quoad eos qui navigant ad Indos; Leander et alii apud Pignatell., *loc. cit.* n. 1, ubi ex Fagundez *loc. cit.* refert quod re diu et mature discussa, fuit hujusmodi privilegium celebrandi super altari portatili in navibus concessum a Clemente VIII et Paulo V omnibus navigantibus ad Indias. Eamd. affirmativam sen-

tentiam sequuntur Schiara, Giribaldus, et alii apud P. Merati, *loc. cit.*, apud Felicem Potestat., tom. III, part. 1, n. 319; La Croix, lib. vi, part. II, n. 255 et 261; Dianam, part. v, tract. 3, resol. 40, et part. ix, tract. 1, resol. 43, et apud Dandin., *De suspectis de hæresi*, cap. 3, sect. 1, subsecut. 4, n. 15 et seq. Item Verricel. Coton. et alii apud card. Petra, *loc. cit.* n. 27, ubi ipse dicit quod nullo jure prohibetur missæ celebratio super aquas, nec navis locus est tanto sacrificio indignus, et plura refert exstante antiquitatis documenta quibus constat, non tantum pluries in mari missas celebratas fuisse, sed continuo super naves Eucharistiam deferri olim solitum fuisse, ut habetur ex Baronio ad ann. 57, 404 et 800, ex Surio de S. Ludovico ad diem 25 Augusti, et ex S. Gregorio, S. Ambrosio et Metaphraste; Verric., *De apostol. mission.*, tit. 7, quæst. 133, n. 9; Pasqualigo, *De sacrificio novæ legis*, quæst. 471, n. 3 et seq., et ex S. Antonino, part. II, cap. 2, tit. 14, § 2, de S. Vulfranno archiepiscopo Senonensi.

Hinc concludendum videtur quod si constat de suprascripta concessione facta a Clem. VIII et Paulo V omnibus navigantibus ad Indias, et de sic observata antiqua praxi, sit id permittendum etiam in quacunque alia longa navigatione super magnis navibus, in quibus tranquillo mari et sereno celo, testibus peritis, nullum adest periculum effusionis sanguinis, aut amotionis hostiæ ex vento; et in ipsis nedum reperitur locus decens pro sancto sacrificio, sed solet etiam adesse capella magnifice ornata; et periculo effusionis sanguinis, ex improvisa et repentina maris commotione facile occurri potest a nautarum peritia, aut assistentia alterius sacerdotis vel diaconi, qui post consecrationem firmiter teneat calicem; unde quamvis prædicta concessio Clementis VIII et Pauli V afferatur facta solum pro navigantibus ad Indias, potest tamen habere locum pro omnibus navigantibus ad quæcunque loca in dictis magnis navibus, quia cum talis facultas seu licentia supponatur petita ratione difficultatis, seu dubii, quod non liceret celebrare in navibus stante periculo effusionis sanguinis, dum fuit concessa, fuit potius quædam declaratio quod liceat in dictis navibus celebrare, atque adeo non adsit periculum effusionis sanguinis; sicque si non adsit periculum, sit licitum omnibus navigantibus ad quemcunque locum, quia alias adesset æqualis necessitas sufficiens pro omnibus, puta pro audiendo sacro, præsertim diebus festivis, pro ministrando viatico, et pro solatio spirituali nautarum et rectorum. Ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio; leg. *Ideo* 27; ff. *De legibus*, leg. *Illud* 32, ff. *Ad leg. Aquilianam*, et capit. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., maxime stante suprascripta praxi, et consuetudine quæ est optima legum interpres, textu expresso in leg. *Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, cap. *Cum dilectus* 8, De consuetudin., et consuetudo legitima semper est observanda leg. *De quibus* 32, ff. *De legib.*

c. *Cum tanto* 11, De consuetud., cum similibus.

(9. Si autem non constet, prout valde dubitat cardin. Albitius, *De inconstantia in fide*, cap. 34, n. 171, apud cardinal. Petra, *loc. cit.*, n. 30, de suprascripta Pontificia concessione, et praxi, ac consuetudine, recurrendum est ad Summum Pontificem pro obtinendo ad id speciale indultum, prout novissime obtinuit in simili recurso sacra Hierosolymitana religio, quæ, non obstante, quod habuisset privilegium altaris portatilis, nihilominus petiit speciale indultum celebrandi in suis magnis navibus, occasione longæ navigationis in alto mari contra infideles, et prævio voto sacræ congregationis. Concil. sub die 13 Martii 1706, cum clausulis, ut breve possit expediri per Sanctitatem suam cum concessione petitiæ facultatis celebrare faciendi missam, dummodo naves sint enuntiate qualitatis, et celebratio fiat duntaxat tempore quo mare est tranquillum, et cælum serenum, et cum assistentia alicujus sacerdotis, seu diaconi, ita ut adesse non possit periculum effusionis sanguinis in dicta celebratione, Clemens XI dictum petitum privilegium benigne concessit 22 Martii ejusdem anni 1706, constit. *Exponi Nobis*, quæ est 26 in prima parte ejus particularis Bullarii. Consimile litterale indultum fuit concessum anno 1706 pro navibus Hispaniarum, et anno 1716 pro trirē. classis Pontificiæ, ut refertur in t. I *Thesaur. resolut. sacræ congregat. Concil. in civitatis Castellane*, in fine pag. 64. Simile indultum pariter fuit concessum anno 1702,

(67) *Nota editorum Casinensium.* — Præstat hic quoad locum celebrationis missæ, oratoria, atque privilegium ad hoc episcoporum etc., sequentia exscribere ex aureo opere supremi magistri Bened. XIV. *De sacrificio missæ*, in hæc sane verba:

« 1. Canonica regula est missam in templis consecratis esse celebrandam, ut videre est in can. *Sicut*, de consecrat., dist. 1, vel in locis ubi episcopus potestatem fecerit celebrandi. « Missarum solemnitas non ubique, sed in locis « ab episcopo « consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda « esse censemus; » sunt verba can. *Missarum*, *De consecrat.*, dist. 1. Atque juxta eam, quæ nunc viget, disciplinam celebrari potest missa in templis ab episcopo consecratis, aut ejus permisso aliquo sacerdote benedictis, aut ex privilegio in oratoriis privatis, domesticisque sacellis, ut videre est apud Tournely *De euchar.*, tom. II, pag. 361; S. Tridentina synodus, sess. xxii, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, jubet: « ne episcopi patiantur privatis in domibus, atque « omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum « cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a « sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi. » Gilbertus *Consultationum canonicar.*, consultat. 5, *De sacrificio missæ*, negat, per eam S. concilii verba auctoritatem ademptam episcopis concedendi facultatem celebrandi in privatarum domorum oratoriis, et auctoritatem confundit episcopi, qua jubet domi suæ missam celebrari, cum auctoritate concedendi potestatem, ut in aliorum domibus missa celebraretur; atque ulterius progressus ait, episcopum, etiamsi a S. synodo ea sibi auctoritas esset adempta, ea tamen uti posse per viam dispen-

sationis in casibus particularibus. Sed hæc prorsus absona sunt, et a veritate non modo, quam ab universali omnium diocesium usu aliena.

« 2. Sancta Tridentina synodus illis quæ attulimus verbis, episcopis facultatem adimit, qua olim erant præditi, concedendi suis diocesanis oratorium in domo privatum, ubi missa celebrari posset, juxta ea quæ per encyclicas litteras episcopis significavit sac. congregatio sacros. illius concilii interpres anno 1613, jussu Pauli V, ut videre est apud Passerinum, *De statibus hominum*, tom. III, quæst. 189, n. 979. « Tametsi sacra Cardinalium congregatio « concilii Tridentini interpretum, optimis innixa « rationibus, sapissime responderit, celebrandi licentias in privatis oratoriis non nisi a Sede Apostolica esse concedendas, etc. Illustrissimi Patres, etc., sanctissimi domini nostri jussu signand. dum duxerunt, facultatem hujusmodi licentias « dandi ipsius concilii decreto unicuique ademptam « esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse « reservatam. » Nihil tamen de privilegio episcoporum detractum est, quo possunt in suis domibus privatum oratorium habere, et in eo missas celebrare, et aliis sacerdotibus permittere ut celebrent, quemadmodum eadem sac. congregatio explicans ea quæ Pauli V, jussu in ea epistola episcopis edixerat, disertissime declaravit anno 1625, atque illud etiam addidit, ne privilegium quidem episcopis a Tridentina synodo ademptum intelligi, ut suo loco dicemus, habendi altare mobile: « Proindeque « cellas et oratoria ad illorum usum ubique locorum exstructa minime comprehendendi in prohibitione Constitutionis jussu sanctæ memoriæ Pauli V. « jampridem edita de non celebrando in privatis « oratoriis. »

(10. Episcopi et majores praelati, etiam si essent cardinales, non possunt concedere facultatem celebrandi in locis non sacris et non benedictis. (11. Imo nec ipsi possunt celebrare extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, sive propriæ, sive alienæ diœcesis, non obstantibus antiquis eorum privilegiis, quæ, quantum ad hoc, sunt totaliter abrogata, ex novissimo decreto Clementis XI, edito 15 Decembr. 1703, juxta tamen posteriorem declarationem allatam sub verb. ORATORIUM, n. 70. Vide ibi. (12. Vi cujus decreti non possunt hodie regulares, etiam quantumvis olim privilegiati, celebrare ubivis, in altari por-

« 3. In jus canonicum insertum est privilegium, quo Fratres Prædicatores, et Minores altari uti mobili, et missam ubique celebrare possint, ideoque extra templa, et oratoria vel privata vel publica, ab ordinariis destinanda, et approbanda, ut in iis missa celebrari possit, quod videre est in cap. *In his*, De privilegiis. In jure canonico item extat privilegium episcoporum, ut, cum maxime deceat eos quotidie missam celebrare, aut saltem audire, ubique in hunc usum altare mobile, seu, quod idem est, petram consecratam secum habeant: ut est in cap. *Quoniam*, De privilegiis, in 6.

« 4. Hujusmodi privilegium regularibus ademit sancta Tridentina synodus, quod sæpe S. ejus interpres congregatio declaravit, ut videre est apud Pasqualium, decis. 54, n. 1, et Pacem Jordan., *Elucidationum* tom. I, lib. iv, tit. 1, n. 40, idemque etiam evincitur ex S. congregationis judicio in causa *Toletana* die 4 Junii 1672, in responsione ad 8 dubium. Propterea Gregorius XII, cum Patribus Societatis Jesu missionariis privilegium concessit altaris mobilis, Tridentinæ synodi decreto derogavit, ut videre est apud Verricellium *De apostolicis missionibus*, quæst. 151, n. 1. In decreto autem Clementis XI, die 15 Decembris ann. 1703, de quo nobis paulo post erit sermo, hæc habentur: « Quod vero ad altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit licentias, seu privilegia concessa nonnullis regularibus in cap. *In his*, De privilegiis, et per alios Summos Pontifices aliis regularibus communicata, utendi dicto altari, portatili, in eoque celebrandi absque ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem concilium Tridentinum, atque idecirco eosdem regulares prohibendos ne iis utantur. »

« 5. S. Tridentina synodus privilegium episcoporum non sustulit, ut sæpe declaravit S. congregatio apud Barbosam *De episcopo*, allegat. 15, n. 1, et constat ex libro *Decretorum* XII, pag. 120, ubi sic ea respondit: « Sacra congregatio etc., censuit, cardinales, non secus ac episcopos, sine ulla episcopi diœcesani licentia uti posse privilegio altaris portatilis, ad præscriptum constitutionis felicis recordationis Bonifacii VIII, quæ incipit: *Quoniam episcopi*; nec hujusmodi privilegium sublatum fuisse concilii decreto, cap. unic., sess. xxii. » Verum Clemens XI, in allato decreto, die 15 Decembr. 1703 edito in ejus *Bullario*, et in *Appendice Romanæ synodi* sub Bened. XIII, cum videret eo privilegio quosdam abuti, statuit ne quis extra suam domum, nec propterea in laicorum domibus, sive in diœcesi, sive extra diœcesim ejusmodi privilegio uteretur: « Ad abusus ejusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem tremendo mysterio debitam, sanctissimus dominus noster ex unanimi voto S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, inhærendo declarationibus alias hæc de re editis, expresse declarat epi copis, et his majoribus

tatili, nec in aliqua domo privata, aut alio loco non sacro, vel benedicto, nisi adsit specialis concessio aut novum privilegium Papæ, quia Pontifex omnia privilegia alias eis concessa totaliter abrogat in hoc suo novissimo decreto, quod ad litteram habes per extensum sub verb. ORATORIUM. Vide ibi, ubi multa ad rem.

(13. Regulares an possint in propriis conventibus, et extra conventus in grangiis et domibus ruralibus habere oratoria privata, et ibi celebrare? et an alii ibi celebrantes, et missam audientes satisfaciunt præcepto audiendi sacrum? Vide verb. ORATOR., a n. 72 ad 78.

« praelatis, etiam cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore juribus, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare; ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere. »

« 6. Ratio quæ Pontificem ad illud condendum decretum impulit, ea fuit quod resciverat nonneminem episcoporum tam in sua quam in aliena diœcesi domo sua egredi consuevisse, et ut primario equipiam viro laico gratum faceret, qui non haberet privati oratorii privilegium ad illius domum sese conferre, ibique vel ab aliquo missam celebrare facere, aut etiam plures, si vir ille habuisset oratorium privatum, ubi non nisi unam missam eodem die liceret celebrari: « Episcopi etiam in aliena diœcesi extra domum propriæ habitationis, in privatis laicorum domibus erigere faciunt altare, ibique per unum aut plures e suis capellanis vicificam Christi hostiam immolare. » Idecirco opus fuit decretum Clementis XI declarari sub Innocentio XIII, qui in bulla *Apostolici ministerii*, de regulari disciplina pro Hispaniarum regni, quam Benedictus XIII confirmavit, decreto Clementino declaravit locum non esse, si episcopus tanquam hospes in alienius laici domo moretur, aut diœcesim visitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apostolicæ habitando in domo aliena extra diœcesim: « Declaramus tamen, quod cum in prædicto decreto statueretur non licere episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, et nec etiam quando episcopi in casibus a jure permisis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes a domo propria ordinariæ habitationis, moram idecirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita eis erit erectio etaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. » Privilegio altaris mobilis, quod habent episcopi, gaudent eminentissimi cardinales, etiam qui episcopi non sint. Quod vero attinet ad oratoria seu capellas privatas, quibus certus fixusque assignatus est locus in domibus tam episcoporum quam cardinalium, possunt plures quotidie missæ celebrari etiam a sacerdotibus qui non sint ex familia, licet episcopus vel cardinalis absit: quique, etiam si ex familia non sit, diebus festis ibi missam audit, Ecclesiastico præcepto satisfacit. » Hæc in terminis apud prælaudatum Benedictum XIV, in opere cit., lib. III, cap. 6, n. 1 et seqq.

(14. Non celebrans missas in loco designato, v. g. in ecclesia, vel altari convento, vel ex pacto, vel ex testamento, si hoc faciat absque justa et rationabili causa, peccat mortaliter, quia in re gravi non adimplet voluntatem et intentionem paciscentis vel testatoris, nec præstat id ad quod fuit electus et assumptus, ut tenent communiter doctores. (15. Si vero hoc faceret ex rationabili et justa causa, ut si altare esset dirutum, vel ecclesia in alium locum translata, tunc non peccaret, quia non esset amplius in potestate sacerdotis ibi celebrare; teneretur tamen celebrare in ecclesia, capella, seu altari translatis, quia locus translatus succedit in omnibus juribus ad locum a quo facta fuit translatio, per textum in c. *Et hoc diximus* 16, q. 7.

(16. Sive tamen non celebret in loco convento et designato cum justa, sive absque justa et rationabili causa, non tenetur iterum in eodem altari vel ecclesia celebrare, aut ad aliquam restitutionem, ut compenset sacrificia alibi celebrata, quia non privavit paciscentem seu fundatorem fructu sacrificii, id enim quod paciscens seu fundator intendit principaliter, est fructus sacrificii pro se et suis, et minus principaliter et quodammodo accessorie, cultus Dei vel sanctorum in tali ecclesia, vel altari; fructum autem sacrificii consequitur, sive sacerdos celebret in illo, sive in alio loco; et solum si alibi celebret, cessat cultus in tali loco. Omissio autem hujusmodi cultus, cum sit solummodo contra virtutem religionis et non contra justitiam, non potest obligare ad restitutionem, ut tenet Barbosa, *De offic. et potest. episcoporum*, allegat. 24, n. 36, cum Passerin., Fraxinell., Bonacina, Gavant., March., Rosign., et aliis magis communiter (68).

(17. Missarum onera relicta in determinata ecclesia seu capella non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicæ licentia, ex sac. congr. Concilii in *Hispalens.* 30 Sept. 1580, et in *Brixians.* 1 Decembris 1685.

(18. Imo neque nuntius Apostolicus potest concedere indultum, quod missæ celebrandæ in loco a testatore designato, alibi celebrentur, sac. congr. Concilii in *Giennen.* 18 Augusti 1603. (19. Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate executorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent; ead. sac. congr. Concil. in *Derthonen.* 4 Junii 1701, quia cum sit actus commutationis voluntatis, non potest fieri ab inferiori, nisi ageretur de translatione provisionali facta auctoritate episcopi ob aliquam rationabilem causam, v. g. si locus determinatus esset impeditus, vel ecclesia diruta; nam tunc non commutatur voluntas, sed ex legitima et justa causa alteratur in re accidentali, quod ab ordinario fieri potest vigore facultatis sibi traditæ a conc. Trident., sess. xxii, *De reformat.*

(68) *Nota Romani theologi.* — Difficultas tamen esse potest, si non celebretur in altari privilegiato juxta mentem largientis eleemosynam, tunc enim

(20. Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis non sunt celebrandæ per externos, ubi commode possunt satisfieri per sacerdotes ejusdem Ecclesiæ; sac. congr. Episcop. 28 Januarii 1606, et sac. congregat. Visitationis Apostolicæ 24 Maii 1712, teste Ursaya, tom. III, discept. 23, n. 5 et 6. Et generales ordinum non possunt sua propria auctoritate celebrari facere in monasteriis aliarum civitatum, provinciarum et regnorum etiam extra Italiam, quantitatem missarum, pro quibus uni tantum ecclesiæ fuerunt elargitæ eleemosynæ. Hoc enim tanquam abusum esse tollendum censuit sac. congregat. Conc. in *una Regularium* 17 Augusti 1647, apud Pascuccium, part. II, tit. *De missæ sacrificio*, pag. 43, vel 27, juxta impressionem Romanam, vel Venetam.

(21. Missæ relicte a testatore, ut celebrentur in determinata ecclesia regularium, ex decisione sac. congr. 16 Novbr. 1657, sunt celebrandæ ab ipsis regularibus, nec possunt hæredes pro suo libito pro tali celebratione deputare sacerdotes sæculares, vel alios regulares, etiam si testator non expresserit per quos essent celebrandæ: « Sac. Congr. (sunt verba congreg. relata a Nicolio, *Lucubrat. canon.* lib. III, tit. 31, De regularibus, n. 15) attentis narratis: censuit præfatos hæredes non posse pro suo libito, oratoribus invitatis, deputare pro prædicta celebratione missarum in eorum ecclesia sacerdotes sæculares, seu alios cujuscumque ordinis regulares, sed omnibus præferendos esse eosdem oratores, quatenus ipsi missis satisfacere non recusent; quibuscumque non obstantibus. »

(22. Exposit vero, contra assertionem Nicolii, fuit nuper editum, ut refert Monac., part. I, tit. 10, formul. 19, n. 18, aliud decretum a sac. congreg. Concil. in *Maceraten.* 15 Martii 1692, contra Patres Minores conventuales terræ Montis Miloni, et fuit decisum, electionem capellani pro celebratione missarum in ecclesia eorum regularium per testatorem non factam, spectare ad hæredes, non obstante opinione Nicolii, et sic iterum declaravit ead. congr. Concil. in *Romana* 1 Decembr. 1708, apud Monacell. tom. IV, *Supplement.* ad tom. I, n. 192.

(23. Et si Regulares nollent consentire, nec commodum et patientiam præstare sacerdoti sæculari deputato pro tali celebratione missarum, tunc conceditur oneris translatio ad aliam ecclesiam, prout sac. congr. Episcop. indulget in *Nullius Castri Durantis* 11 Apr. 1615; in *Burgo S. Sepulcri* 7 Octob. 1617, et in *una Venetiarum* 24 Sept. 1639. « Sac. congr. Concilii censuit, dum regulares non consentiunt missas a testatore relictas per sæculares in regularium ecclesia celebrandas, ibidem celebrari, posse alibi celebrari, de licentia ordinarii. » Novissime tamen S. C. Conc. in *Romana oneris missarum* 7 Nov. 1731 ad 1 dub. « An

contra justitiam peccasse videtur sacerdos, qui in non privilegiato celebraverit, ac teneri videtur iterum celebrandum in privilegiato.